

di, & Adonis indicari festum Conceptionis S. Joannis Baptiste, quin ex hoc dici queat, Sanctum Joannem fuisse sine culpa originali conceptum. Poterit ergo celebrari festum Conceptionis Mariæ, præcisa definitione Mysterii. Decipiuntur ergo heterodoxi arguendo definitionem Mysterii ex celebratione ejusdem festi.

Hic Rhodus, hic saltus. Cultum sacrum a Pontifice præscriptum, ab Ecclesia receptum, & usitatum non esse modo pietatis professionem, sed etiam Catholicæ religionis, D. Thomas, cæterique Theologi consensu docent. Quod hostes ipsi Conceptionis innoxia ante decretum Alexandri Septimi fatebantur. Aiebant enim, quidquid Ecclesia celebraret, id esse verum, & sanctum, propterea quia festorum dierum celebritate Christianam fidem profiteamur; sed objectum celebritatis in Conceptione Mariæ non esse primum momentum creationis ejusdem. Nunc, pallio mutato, cum se intelligant objectum hujusmodi negare non posse, D. Thomam, Theologos veteres, asseclas suos, Ecclesiæ confensum, totamque adeo antiquitatem oppugnant. Ego vero non hæc gravium Theologorum inventa, sed sophistarum deliramenta esse probavi. Nunc illud adjungam, non levi pœna esse plectendos, qui nescio qua incertæ pietatis professione contenti, hanc in publico cultu ab Catholicæ fidei professione disjungi posse contendunt. Sed commentum hoc suum non satis aperte agit in scenam libellator; nec, quod proponit in argumento, confirmat; sed aliud assumit, quod & facile a nobis impetrabit, & ad illud probandum minime pertinet. Propositio erat: *festum non semper celebrantur ab Ecclesia in argumentum fidei*. Hoc ut ostendat, illud assumit: *quis dicet, festum Rosarii, Carmeli, &c. designare illa Mysteria esse de fide?* Quod est perinde, ac si ita colligeret argumentando: quæ coluntur Mysteria Carmeli, & Rosarii, non sunt de fide: ergo non semper festa celebrantur in argumentum, & professionem fidei Christianæ. Hoc autem nugari penitus est, non Theologi more argumentari. Damus,
illa